

[§ 1] Uestre discretionis prouidentiam^{a)} non credimus ignorare, quod difficiliore questiones, que in causis ecclesiasticis contingere solent, circa matrimonium emergere consueuerunt. Quapropter de illis, qui post occultum concubitum a parentibus mulierum eas ducere compelluntur, uestram uolumus prudentiam edocere, quod si ille, qui^{b)} coactus fuit, ex quo facultatem habuerit dissentendi^{c)}, semel consenserit, ex tunc ita dissentire non potest, ut factum ualeat reuocare. Si autem postea non consenserit, sicut auctoritas refert¹⁾: „omnia etiam cum ipso coitu, si^{d)} absque consensu, frustrantur“ Verum^{e)} si quis puellam subarratam traducere forte distulerit aut mulier ad uirum post factam subarrationem transire tardauerit, ut se adinuicem coniungant, sunt ecclesiastica districtione cogendi, nisi moram forte ex necessitate aut ex mutua fieri^{f)} contingat uoluntate. Quod si aliquis sponsatam sibi legitime puellam ducere forte neglexerit aut forte^{g)} omnino renuerit^{h)} et alius eam ipso absente sibi coniungat, licet ex illa prolem susceperit debet ad priorem uirum relicto secundo redire et ipse ad eam suscipiendam est omnino cogendus. Similiter etiam si uir aut mulier post factam subarrationem, scilicet ex quo uterque alium presentialiter in suum receperit, negotiationi aut peregrinationi insistens captiuetur fortuitu^{b)} casu aut alia necessitate obstante longo tempore abesse cogatur et si ille, qui interim¹⁾ domi remansit, ad alia uota migrauerit et prolem etiam multam procreauerit, non minus ad primum debet fedus redire^{k)}. § [2] Preterea si soror^{l)} alicuius mulieris in lectum uiri eiusdem mulieris^{f)}, sororis^{m)} sue, ipso ignorante intrauerit, non tamen propter hoc sunt coniuges separandi nec uxori sue debet occasione illa debitum denegare. § [3] Ad hec episcopus, qui commissam sibi ecclesiam sponte dimisit, sicutⁿ⁾ canonicus regularis aut uelud monachus, secundum quod idem^{m)} elegerit, uiuere debeat. Quodsi ante promotionem suam alicuius reli-

a) prudentiam P. b) quo C. c) folgt si P. d) set (?) C.
e) Vnde P. f) fehlt C. g) retinuerit C. h) furtiuo C. 1) interim qui C.
k) transire P. l) uxor C. m) fehlt P. n) siue C.

1) Nikolaus I. Ep. 99 c. 3 (ad Bulgaros), MG. Epp. 6, 570, 22; c. 2 C. XXVII q. 2. Die Stelle ist auch zitiert in den Sentenzen Rolands hg. v. Fr. A. M. Gietl (Greiburg 1891) 271 f.